



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Gnoti Seautón, Sive Arnoldi Geulincs Ethica**

**Geulincx, Arnold**

**Lugd. Batav., MDCLXXV**

VI. Quomodo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48728](#)

quædam ad mundum pertinens, quæ ex statu & pompis percipitur, & finis noster ultimus: & si recreari & refici amplius velimus, quam ad partes nostras bene explendas requiratur, jam recta functio munieris nostri non est finis noster subordinatus: sed ipsa illa delectatio finis cuius ultimus.

## VI. QUOMODO.

Quomodo significat modum actionis: V. G. an languide an ferventer, an joco an serio, severè an comiter, simulatè an sincerè fiat actio. Symbolum.

## SERIO ET SYNCERE.

Serio dicimur agere, quod non per lusum, non per jocum, non etiam languide, sed studiosè, cordatè deliberate agimus: debet autem viri boni omnis actio seria esse; non quod jocari, videre, ludere &c. sit interdictum; sed quod hæc dum in vi-  
rum bonum cadunt, naturam suam quo-  
dammodo exuant, mutant, & ludicra esse  
desinant, fiant summe Seria. Nam joca-  
ri, videre, ludere tali mente, quali hoc à  
viro bono præstatur, & prout Tract. I.  
circa 6. obl. describitur, non est jam joca-  
ti, ludere, videre, sed legem Dei exsequi

h 6

tam

tam serio, tam cordate, quam cum  
maxime.

Syncera etiam debet esse actio boni vi-  
ri, id est, non aliter exterius exhibita,  
quam intus ab ipso concepta: nulla enim  
Ratio est, cur aliquid simulet, quando-  
quidem id quod agit sit optimum, nec ho-  
minibus placere studeat, sed tantum Deo  
& Rationi obedire. Nihilominus hic  
subinde opus est discretione, & etiam  
si nihil simulet vir bonus, quædam ta-  
men celat & silentio premit: etiamsi nun-  
quam aliorum nequitiae consentiat, sæpe  
tamen eam non reprehendit, & nec dicto  
nec facto contravenit; quo casu quidem  
imprudentioribus sierte ac dissimulanter fa-  
cere vir bonus videtur; sed errant hi:  
& longe aliud est, celare veritatem, aliud  
mentiri: item aliud cooperari nequitiae  
alicujus, aliud non contravenire, ut pau-  
lo infra, ubi de discretione.

## VII. QUANDO.

Hæc particula significat tempus, quo  
actio exercenda est. Symbolum.

**DELIBERANDUM EST DIU EXE-  
QUENDUM CITO.**

Quo monetur non agere, nisi post ma-  
turam